



170.

22

all

1729, 1

Q. D. B. V.

EXERCITATIO JURIDICA
DE

**AGGRATIATIONE
DELINQUENTIUM,**

Quam

Favente Supremo Numine,

In inelyto Gedanensium Athenæo,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, CONSULT. ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. SAM. FRIDERICO

WÄSSERSBENS!

J. U. D. Ejusdem ac Historiar. Profess. Publ. Ordinario,
nec non dicti Athenæi Inspectore,

Fautore ac studiorum suorum Promotore
æterna mentis observantia devenerando,

D. XIX. Martii, A. O. R. MDCCXXIX.

IN AUDITORIO ORDINARIO

placido Commilitonum Examini submittit

R E S P O N D E N S

PAULUS THEOPHIL. SCHNAASE,

Conicenf. Boruff,

G E D A N I,

Ex Officina SCHREIBERIANA.

vā
af
n-
ne
or,
el
d.



VIRIS
NOBILISSIMIS, SPECTATISSIMISQUE
**DN. PETRO
GODOFREDO
SALOMON,**

Pharmacopolæ Civitatis Graudentinensis meritissimo,
AVUNCULO summopere colendo,

**DN. PAULO
SCHNAAS,**

Mercatori & Oenopolæ laudatissimi Emporii Gedanensis
floquentissimo,

PATRUELI æstumatissimo,

DOMINIS FAUTORIBUS ac AMICIS Suis
omni quo decet honoris
cultu æternum prosequendis,

Paginas hæc Juridicas,
in debite observantia Symbolum,
cum plenissimæ felicitatis
voto offert & consecrat

RESPONDENS.



Conspectus.

Aggratiationis etymologia & definitio realis, cum ejus fundamento I. jus aggratiandi è regalibus Principis est II. non inferioris magistratus, nisi ex Superioris concessione III. quando delinquenti gratia dari non possit? IV. ex recentiorum sententia in homicidio doloso Princeps gratiam dare potest V. in poenis divinis forensibus & humanis valet jus aggratiandi VI. urgente justa causa VII. exemplum justæ causæ in puella pro fure intercedente, ut eum habeat maritum VIII. exempla aliarum justarum causarum IX. gratia data immunitatem à pœna operatur, non honoris restitutionem regulariter, multo minus à satisfactione partis læsæ X. illa semel data non revocanda XI. nec Princeps successori mandare potest, ut reum puniat. Responsio ad 2. *Sam. XVI. 5. seqq.* 1. *Reg. II. 8. 9. 26.* XII. ab hoc Principe data gratia, quando extraneo Principi non præjudicat. XIII.

I.

Lupiore latinitate Vox *Aggratiatio* non est. Ufu, ut videtur, seculo invaluit, quo spreta humaniora studia. Ea usus Aretinus, cum ait: *Subtilis, sed utilis est tractatio de Aggratiatione.* In reali sensu ea nobis est: *pœne capitalis, ex justa causa confessis vel convictis delinquentibus dictatæ, à superiore facta remissio.* Vocatur alias *Indulgentia* L. 3. 7. 18. C. de Sent. pass. et restit. Germ. *eine Begnadigung der Delinquenten Befold.* *Thes. Pr. d. voce Begnadigung* & suum fundamentum habet in utilitate publica, quam non parum juvat clementia Principis, in legibus civilibus sæpe commendata L. ult. C. de Don. int. V. & U. L. 23. pr. C. de Nupt.

A 2

II. Jus,

4 DE AGGRATIATIONE DELINQUENTIUM.

II.

Jus, hanc gratiam dandi, character est Regiæ summæque Præ-
minentia L. 4. 27. in f. ff. de pæn. L. 7. C. de Precib. Imp. offer. L. 12.
C. de Sent. pass. & juribus Majestatis annumeratur Sixtin de Regal. l.
1. c. 2. n. 16. hinc soli summo Principi competit Heig. P. 2. qv. 22. n.
6. 23. & 28. Consuetudine autem & Superioris indultu ad inferiores
magistratus extenditur.

III.

Penes inferiores quidem magistratus est, quod possint, vi meri
imperii, super facti quæstione cognoscere & innocentem à pœna ab-
solvere L. 37. ff. de R. J. at vero ubi pœna capitis opus est, ob legis
autoritatem eam persequi tenentur L. 1. §. 4. ff. ad Sc. Turpill. L. 8. §.
2. C. ad L. Jul. de vi publ. cum legum ministri sint, nec illis clemen-
tiores esse possint L. 8. §. 1. ff. L. 14. C. de pæn. Ziegl. de Jur. Maj.
lib. 1. c. 8. §. 12. Quando relegationem, carcerationem in mitiorem, ut
pœnam pecuniariam mutare possunt, hoc ex loci constitutionibus ipsis
constare debet. Carpz. Pr. Crim. qv. 150. n. 75. & 85. seqq.

IV.

Gratia tamen, quam Superiores concedunt, ne nimis effusa
sit, & in effrenem licentiam abeat, justitiæ cancellis includi debet.
Non enim aggratiantes delinquentibus succurrere possunt, quando
salus reipubl. executionem pœnæ postulat, aut pœnæ sunt Jure Di-
vino statutz e. gr. in blasphemia in Deum, dolo & deliberato ho-
micidio, parricidio, sodomia, incestu, idololatria, magia &c. Nam
cum criminum horum pœnæ sint à Deo, omnium superiore, legibus
suis præscriptæ, Princeps, qui homo est, & infra leges divinas nihil
contra superiorem attentare potest. Heig. quest. 24. n. 30. seqq. Joh.
Sam. Stryk de Abolit. Princip. cap. 3. Id si fieret, non magis excu-
sari posset, ac si magistratus inferior contra pœnas sui Principis grati-
am dare sibi sumeret, vid. c. 2. Diff. 10. Ziegler d. l. §. 3.

V. In

V.

In homicidio doloso sunt tamen recentiores quidam, qui Principi jus aggratiandi asserunt. Nam etsi jure naturæ pœna talionis videtur in homicidam statuta, eam tamen præcepto affirmativo statutam esse, quod quidem semper obligat, sed non ad semper, verum rationes admittit, quæ cessationem actionis svident vel jubent in eo. Ex revelato verbo divino *Genes. IX. 6.* constare vero juxta fontem Ebraicum, quod ibi non præcipiatur, ut per superiorem dictetur pœna capitalis in homicidam, sed quod ibi prædicetur, fore, ut homicida, etiamsi effugiat pœnam humanam, tamen ejus sanguis ab aliis hominibus effundatur, quod occulto Dei judicio etiam fieri potest. Præceptum *Exodi XXI. 12. 15.* loqui dicunt de homicidio doloso, sed non omni, verum insidioso, subitaneum vero, quod in rixa non vel parum præmeditata contigit, eo non comprehendi, quod propterea aggratiationi relictum. Vid. plur. Thomaf. *Disp. de Jure Princ. Evangel. aggratiandi in causis homicid.*

VI.

Si pœna sit Juris divini forensis, ut hoc, extincta Republ. Judaica, ad hodiernos magistratus non amplius pertinet, ita contra illius pœnas non deneganda illis est aggratiatio. Zentgrav in *Summa Jur. Din. Sect. 1. subsect. 2. de Lege forensi §. 3. & 5.* Lauterb. *Vol. 4. Diff. de Jure aggratiandi th. 9. seq.* Pœnarum hinc, quæ lege humana statutz, aggratiationem tanto magis Princeps sibi arrogare potest, cum ab eo originem trahant, & dispositioni ejus subjectæ manent. Quod ab exemplo maximè laudabilis gratiæ apparet, quando injuriæ sibi privatim illatæ condonat, & hoc ipso magnitudinem animi sui indicat. *L. un. C. Si quis Imper. maledix.*

VII.

Semper vero, & quoties superior circa pœnas vult delinquenti gratiam facere, deliberato animo, & ex justa ac legitima causa id fieri debet,

A 3

debet,

6 DE AGGRATIATIONE DELINQVENTIUM.

debet, ne remissione pœnæ delicta multiplicentur, & homines ad peccata quasi invitentur *L. 14. C. L. 4. in f. ff. de Pœn. Clement. lib. 3. de Celebrat missar. cap. 1. Mev. ad Jus Lubec. lib. 4. tit. 15. art. 1. n. 12.* Hinc nec Princeps ex plenitudine suæ potestatis delinquenti promiscuè à pœna, immunitatem dare potest, ne ipsa ejus autoritas ex indifferenti remissione evilescat. Reinking *de Regim. Sec. & Eccl. lib. 2. class. 1. cap. 8. n. 66. seqq.* Qui autem sint tales justæ causæ, certa regula includi non potest, cum pro delictorum ac pœnarum ratione, major interdum, interdum minor juri aggratiandi locum faciat.

VIII.

Cognita prius delicti gravitate, ac considerata personarum qualitate, ad gratiam Superior procedat, si eâ non noceatur Reipublicæ aut propriæ conscientiæ, nec privatis injuria inferatur, imprimis vero si divina justitia, ob perversam humanæ justitiæ administrationem, non provocetur ad justam iram, totiusque terræ everisionem *Nov. 77.* Ex multis justis causis lubet aliquot earum in scenam producere. Si puella pro fure ad furcam condemnato intercedat, eumque maritum sibi poscat, hoc causam esse justam, ut furi detur venia à pœna patibuli, assertum à nobis in *Select. Jurispr. Civ. Part. prior. Exerc. Sabbath. 30. Dissent. Clasen de Jure Aggrat. cap. 12. §. 4.*

IX.

Delictum quod casu, vel repentino motu, vel justo dolore *L. 16. §. 2. ff. de Pœn. L. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult.* vel semel tantum ab illo patratum, in quo spes apparet melioris frugis, ad dandam veniam invitatur. Theodoric. *in Judic. Crim. cap. 10. apb. 7. n. 14.* Fieri potest gratia ob numerum liberorum *L. 7. §. 3. ff. de Bon. damnat.* ob peritiam rei militaris, vel insignis alicujus artificii *L. Ad bestias 31. ff. de Pœn. Oldekop Observ. Crim. Tit. 4. O. 32. Lanfius Orat. pro Italia p. m. 662.* Ob festivitatem & lætitiâ Principis succedentis in regnum, matrimonium contrahentis, natalitia sua aut victoriam obtentam

DE AGGRATIATIONE DELINQVENTIUM. 7

tam celebrantis Molina de *J. & J. Tr. 3. Disp. 48. n. 1.* Oldekop. *Tit. 5. Obs. 9. n. 3. & 4.* Ad causas gratiæ dandæ mandatum Principis, ut subditus, aliquem interficiat, refert Clafen d. *Tr. cap. 13. §. 6.* De pluribus causis vid. Stryk. *c. l. cap. 4.* Voet. *ad ff. tit. de Pœn. §. 7. seq.*

X.

Impetrata legitime gratia delinquens à pœna publica liberatur. *L. 3. C. de General. abol. Honoris famæ & pristinorum jurium restitutionem vero demum consequitur, si id specialiter in Rescripto gratiæ expressum fuerit, vel in eo restitutio facta legatur ad omnia L. 1. 2. & 7. C. de Sent. pass. & restit.* quia cum magistratus, absoluta potestate gaudens, possit aliquem ad omnia pristina jura restituere, etiam illis verbis id fecisse præsumendus est. *L. Beneficia 3. ff. de Constit. Princ.* Clafen d. *Tr. cap. 20. §. 2.* A satisfactione vero parti lætæ restitutus non immunis erit, quia huic ex delicto jus quæsitum manet, cui non potest impetrata restitutione præjudicari Octav. Cacheran. *Decis. Pedemont. 138. n. 11.* ut, prius indulgentiam à Principe fieri non posse, quam reconciliatio cum parte offensa facta, statuant Carol Ruin *Vol. 5. Consil. 60.* Garl. de Mastrill. *Decis. Sicil. 205.*

XI.

Semel concessa delinquenti à Principe gratia, etsi postea edoctus, delictum commissum nimis enorme esse, non tamen ab eo revocari potest. Licet enim, quod supplicans reus non passus delictum cum omnibus suis qualitatibus, videatur per obreptionem absolutionem impetrasse à pœna, quæ idcirco invalida Frideric. Min-danus de *Process. lib. 1. cap. 15. n. 4.* Jul. Clar. *Pr. Crim. §. fin. qv. 59. n. 9.* quia tamen in Principe, ceu fonte justitiæ constans debet esse voluntas arg. *L. 8. pr. C. de Summa Trinit.* & grave sub fide & autoritate publica aliquem decipi *L. 1. C. de his qui ven. etat. impetr.* verius est, gratiam à se datam immotam manere. Myler ab Ehrenbach in *Nomolog. Ordin. Imper. cap. 1. §. 5.* Clafen d. *l. cap. 20. §. 1. in f.*

XII.

Concludimus: ita nec Principem poenitentia ductum posse
suo

§ DE AGGRATIATIONE DELINQUENTIUM.

suo successori injungere, ut, abolitione non obstante, reum post mortem suam ad supplicium ducat. Quod enim per se quis nequit, nec per alium facere potest *c. 67. de R. J. in 6. L. 10. C. de Hered. insti.* & ex quo actu parti jus quæsitum, hoc pœnitentia retractari non potest *c. 21. de R. J. in 6. L. 29. C. de pact.* Scioch vom *Præcedenz-Recht der Potentaten in Europa p. 787. seqq.* Non obstat exemplum Davidis, qui ipsi maledicenti Semejo & lapidem in eum projicienti, postea pœnitenti & veniam roganti, condonavit ac jurato eam ipsi promisit, sed deinde morti vicinus Salomoni filio & successori suo præcepit, ne impunitum sineret Semejum, quem Salomo quoque postea neci dedisse legitur. *2. Sam. XVI. 5. seqq. 1. Reg. II. 8. 9. 46.* Nam hoc mandatum Davidis erat sub conditione datum: si Semejus iterum aliquod delictum committeret, ut tunc Salomo, non obstante Davidis gratia, ex memoria pristini facinoris, eum debita afficeret pœna. Quod demum quoque factum à Salomone, cum Semejus contra legem Urbem Hierosolymitanam egressus esset *1. Reg. II. 37. 42. 46.* Et hoc justum est, ut, post obtentam gratiam, in delinquentem de novo, etiam ratione præteritorum, pœna statuatur. *Stryk d. l. cap. 5. n. 140. seqq.*

XIII.

Quod si Princeps extraneo in suo territorio gratiam faciat, hoc Principi, cujus subditus est delinquens, non præjudicat, quo minus eum debita pœna afficiat, quia Principi huic nondum satisfactum, & illius gratia ad extranei territorium se extendere nequit *L. fin. ff. de Jurisd.* Ex pari ratione suo subdito in alterius territorio delinquenti gratia concessa haut præjudicabit extraneo Principi, ob delictum in suo territorio commissum pœna debita afficiendi delinquentem, cum mox ex delicto commissio jus inquirendi & puniendi consecutus sit *L. 1. C. Ubi de Crimin. L. 7. §. 4. ff. de Accusat.* Gratia vero suo subdito in suo territorio delinquenti à Principe concessa ipsi in quolibet territorio proderit, quod ob id delictum à nemine alio conveniri possit, cum extraneus hic nullam interesse docere possit. *Stryk d. l. cap. 5. n. 69—92.*

✠) o (✠





ULB Halle

3

002 178 486



sb







170.

22
M

1729, 1

Q. D. B. V.
EXERCITATIO JURIDICA
DE
**AGGRATIATIONE
DELINQVENTIUM,**

Quam
Favente Supremo Numine,
In inclyto Gedanensium Athenæo,
PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, CONSULT. ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. SAM. FRIDERICO

WASSERBERG!

J. U. D. Ejusdem ac Historiar. Profess. Publ. Ordinario,
nec non dicti Athenæi Inspectore,

Fautore ac studiorum suorum Promotore
æterna mentis observantia devenerando,

D. XIX. Martii, A. O. R. MDCCXXIX.

IN AUDITORIO ORDINARIO
placido Commilitonum Examine submittit
RESPONDENS

PAULUS THEOPHIL. SCHNAASE,
Conicenf. Boruff,

G E D A N I,
Ex Officina SCHREIBERIANA.

